



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

79. An si quis occidat aliquem Appe[n]sate, & animo præmeditato, sit  
privandus Ecclesiae Immunitate? Et quid dicendum, stando in terminis iuris  
communis? Ex part. 6. tr. 1. res. 13.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

citato, nouissimè tenet etiam hanc opinionem Antonius de Marinis *quotid. resolut. cap. 170. num. 14.* & de hoc non est dubitandum, stando in terminis Constat. Gregor. XIV. vide me ipsum *suprà*, ubi respondeo ad omnia argumenta contraria.

## RESOL. LXXIX.

*An si quis occidat aliquem Appensate, & animo premeditato sit priuandus Immunitate?*

*Et quid dicendum, stando in terminis iuris communis?*  
Ex part. 6. tract. 1. Ref. 13.

Sup. hoc inf. in Resol. 98. cursum prope t. item, sed ad dicto Per. g. no.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Sarpus *e. 5. fol. 48.* ubi sic ait: Non ad eò communis est omnium opinio, homicidas quoscumque, qui cogitad facinus perpetraverint sine insidiis, sed consultò; immunitate Ecclesiarum uti non posse. Est tamen multorum Doctorum sententia: quomobrem ob eorum & numerum & conditionem amplecti eam possumus absque vilo erroris timore. Ita ille.

2. Sed hoc non est verum stante Constitutione Gregoriana, in qua septem tantum casus excipiuntur, quibus tantummodo delinquentes ad Ecclesiam confugientes immunitate priuantur, inter quos non annumeratur homicidium consultò & deliberatè perpetratum; sed homicidium proditorium; sed qui occidit de industria, & animo pensato, non occidit proditorie. Ergo, &c. Et idè Caballus *tract. de homicidio, num. 388.* asserit frustra de hac re disputandum; eum exire Bolla Pontificia Gregorij ita disponentis. Et Tufchus *tom. 3. littera E, conclus. 11. num. 9.* asserit, quòd iste casus, & multi alij similes erant controuersi inter Doctores iuris Canonici & Ciuilib; & quia istud ius dubium declaratum fuit per Gregorium XIV. in dicta constitutione, omnino seruari debet; & illud vbique attendi debet, & amplius non est locus opinionibus Doctorum adherere. Vide hanc opinionem latè comprobantem Chartarium in *decisionibus crimin. decis. 95. per tot.* Unde prorsus refellendus est noster Naldus in *summa verb. Ecclesia, num. 5.* asserens homicidam ex proposito non gaudere immunitate.

3. Sed difficultas est. Quid dicendum stando in terminis iuris communis. Sarpus, ut visum est, & aliqui docent animo deliberato, & appensate occidentem non gaudere Ecclesie immunitate. Et ita tenet Ludouicus Correa in *sua docta relectione de immun. Ecclesiast. part. 2. n. 19.* Sanchez in *opus. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 27.* Peguera *decis. crimin. 54. num. 10.* Ioseph Ludouicus *decis. Lucen. 16. num. 3.* Franciscus Marcus *decis. 268. num. 2.* Vulpellus *tract. de immun. Ecclesiast. part. 1. num. 27. & sequent.* Gutierrez in *practico. quæst. lib. 1. quæst. 2. num. 17.* Fachinus in *contro. vers. lib. 9. cap. 83. per totum.* Germonius *de sacrament. immunitat. lib. 3. cap. 16. num. 59.* Marta *de iurisdict. part. 2. cap. 55. num. 4. & sequent.* & Barbola *de iur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. num. 99.* cum aliis penes ipsos. Et ratio est, quia in *cap. 1. de homicidio*, dicitur euellendum esse ab altari, & immunitate priuandum, qui per industriam occiderit & per insidias: Ergo occidentem per industriam, qui non occiderit per insidias, non gaudebit immunitate quia copulatiua in qualibet illius parte debet verificari & quidem superflue apponeretur in dicto textu verbum illud, per industriam: nam sufficiebat dicere per insidias, et nim qui occidit, per insidias, dicendus est occidere per industriam.

4. Verùm his non obstantibus aliqui putant etiam

in terminis iuris ante Constitutionem Gregorianam occidentem animo deliberato non fuisse immunitate priuandum, nisi proditorie occidisset. Ita tenet Suar. *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. num. 13.* Boëtius *decis. 109. num. 19.* & alij, quos citat Farinacius *conf. 76. num. 17.* quibus adde nouissimè Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 8.* & Castrum Palaum *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 9. num. 29.* Quia, ait ille, in penis non est faciendæ extensio: neque immunitas Ecclesiastica minuenda: tum quia constitutio Gregoriana, quæ, ut diximus *suprà* ex Cardinale Tufcho, decidere intendebat apposuit verbum, proditorie, ut sic insinuaret in illis verbis textus *per industriam & insidias*, idem esse significatum; vnus enim terminus alterius est declaratio: neque ibi est propositio copulatiua, sed simplex; facit enim hunc sensum: Qui per industriam insidiosam occiderit proximum, ab altari euellatur: quod manifestè constat, nam locus ille Exodi ex quo textus desumptus est, concedit locum refugij ei, qui proximo insidiatus non fuerit. Neque inde fit superfluum verbum illud, per industriam, quia apponitur ad maiorem subsequens declarationem; tum quia idem inferri possit esse superfluum verbum per insidias, si omne homicidium per industriam ab immunitate exclusum; quia inde exclusum erat homicidium per insidias, quod esse non potest, nisi per industriam. Et idè supremum Concilium Castellæ, quod Emporium doctorum hominum semper esse solet, hanc sententiam in facti contingentiâ determinasse testatur ex Paz Villalobos in *summa tom. 2. tract. 39. difficult. 7. num. 12.* ubi, [ad eam opinionem] que vale la inmunidad al traycion; y dice Paz, que lo vio practicar en vna sententia que die el Consejo en tiempo del Rey Don Felipe segundo en fauore de un noble, que matò à otro en vn desafio, y le acogio à la Yglesia, y le sacaron, y mando el Consejo boluerle a ella.]

5. Vnde ex his omnibus statuendum est contra Sarpum, non solum qui occidit, aliquem consultò, & cogitad gaudere immunitate Ecclesiarum, stante constitutione Gregorij XIV. Sed etiam secundum aliquos stante iure communi antiquo.

6. Ad statuta verò, quæ Sarpus adducit aliquorum Regnorum, respondeo nihil, valere; Principes enim Laici nullam habent potestatem determinandi aliquid citra immunitatem Ecclesiarum; sed hoc spectat ad summum Pontificem. Vnde refellendus venit Gambacorta *lib. 3. cap. 13. num. 11.* ubi defendit *cap. 71.* ius Regni Siciliae sub Rege Alfonso, in quo datur facultas Officialibus Laicis, ut extrahant reum ab Ecclesia, qui homicidium ex proposito commisit. Nec valet dicere cum ipso dictum Decretum fuisse factum in Parlamento, ubi adsunt Prælati totius Regni, nam Episcopi non possunt, neque augeant, neque restingant immunitatem Ecclesiarum cum hoc ad summum tantummodo Pontificem spectet.

## RESOL. LXXX.

*An qui occidit inanimatum ex premeditata animi deliberatione, Apostadamentè, vulgo dicitur, atque ex industria, non autem proditorie, seu per insidias, gaudeat Immunitate?* Ex part. 1. tract. 1. Resolut. 33.

§. 1. **D**ixi, non proditorie, neque per insidias, quia de hoc *suprà* diximus. Igitur ad casum propositum respondendo, dico, negatiuam sententiam docere

\*Sup. in Resolutionibus, quæ hic sunt infra Resol. 81. & 89.